

Ecclesiis parochialibus sepeliendos esse decrevit. Nam, ut prosequitur, Eminentissimus *Petra* loco cit., uti gaudentes privilegiis regularium pars dicuntur ipsius religionis, ut dixit etiam S. Congr. Episcop. et Regular. in *Nepesina* 11. Decbr. 1615 ad quintum, et 20. Decbr. 1617. Verum cadavera non possunt deferri a domo nisi cum praesentia parochi vel hoc requisito, S. Congr. cit. in *Mutinen.* 17. Junii 1636 apud *Dian.* part. 5. tract. 6. *Miscell. resolut.* 30. et *Passerin* de statib. tom. 2. n. 246 et seq., qui n. 248. adducit epistolam per extensum. Sic *Card. Petra* loco cit. n. 41. vers.: Si vero, *Panimoll.* decis. 5. Adnot. 3. n. 47. et 48., *Sellius* in *Select. Canon.* cap. 35. n. 20., *Gavant.* in *Manual. Episcop.* verb.: Tertiarii n. 10. et 11., *Tamb.* de *Jure Abbatissar.* disp. 7. qu. 3. vers.: Tertiariae, et vers.: S. Congr. Cardinal.; *Barbosa* de offic. et potest. parochi cap. 26. n. 69., *Sperel.* tom. 1. decis. 87. n. 17; *Lavor.* var. lucubr. tit. 2. cap. 11. n. 102. et 103., *Matthaeucc.* offic. Cur. cap. 48. n. 31. et cap. 52. n. 3. §. 2. et 3. et alii.

49) Per Triduum sacr.

In secundo triduo majoris hebdomadae non possunt celebrari exequiae defunctorum et officium et preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Aug. 1636 in *Placentina.*

In exequiis parvulorum in feria V. et VI. et Sabbato majoris hebdomadae potest omitti Gloria Patri in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. Rit. Congr. 16. Jun. 1677 in *Hispal.*

Dubitatur: Quae ratio vel forma servanda sit in funeribus alicujus defuncti tam adulti quam parvuli in fer. V., VI. et Sabb. s. majoris hebdomadae? Hoc enim in ritu rom. nullatenus expressum invenitur.

S. C. resp.: Non debet alterari usus communis; alias enim omissa non fuisset regula; in psalm. tamen, qui dicuntur pro parvulis, posset omitti v. g. *Glor. P.* pro conformitate temporis. N. 2812 ad 6 die 16. Jan. 1677.

Vd.: *Sepult.* (ritus.)

50) Via ad Sepulturam.

Vd.: *Process. funebr.* (via; crux Cathedr., Colleg., ecclesiae tumul., exitus etc.)

51) Visitatio.

Vd.: *Visit. de Funerib.*

SEQUENTIA.

1) In missa de SS. Nom. Jesu.

Ad dubium Episcopi *Brugen.*: an *Sequentia* in missa de ss. Nomine Jesu dicenda vel omittenda sit in ipso festo?

S. C. resp.: Esse omittendam. N. 4049 ad 9 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 9 die 16. Febr. 1737.

2) In missa de Requ.

Ad dubium: Utrum in missis quotidianis sive solemnibus sive absque cantu *sequentia Dies irae* semper et dici a celebrante et cantari in choro debeat? Ratio dubitandi est, quia fert missale: *Sequentia Dies irae* ad arbitrium sacerdotis. Et quatenus negative, pro speciali gratia postulat Rmus Episcopus *Briocen.* et *Trecoren.* dispensationem super *sequentia Dies irae* cantanda ob angustiam temporis et defectum cantorum, praesertim in ecclesiis ruralibus. Rescriptum prodit:

„*Sequentiam Dies irae* semper dicendam in missis *de Requie*, quae cum unica tantum oratione decantantur, verum aliquas strophas illius Cantores praetermittere posse.“ N. 2508 ad 12; 12. Aug. 1854.

Vd.: *Orat. in missa quot. de Requ.* (Quot? decr. n. 4818 ad XI. 2.)

3) In missa de septem dolor. B. V. M.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.*

4) In missa de SSmo.

In missa, quae celebratur in ecclesia monialium ord. s. Francisci de *Laurizal de SSmo* omnibus fer. V., 1. vel. 2. class. non impeditis, *sequentia Lauda Sion* dici non potest. N. 4464 ad 2 die 21. Mart. 1795.

5) A quo dicenda?

Ad dub.: Utrum in Missa solemnitate tam de festo quam *de requie*, dum *sequentia* cantatur in choro, eadem submissa voce recitari debeat a solo Celebrante vel alternatim cum s. ministris?

S. eadem Congreg. respondendum censuit: „A solo Celebrante.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5111 ad 7 die 11. Septembris 1847.

SERMO.

Vd.: *Concio; Praedicatio; de sermone ante distribut. ss. Sacram.* vd.: *ss. Sacram.* (distrib., sermo.)

SERVITIUM CHORI.

Vd.: *Chorus; officium.*

SERVUS SERVORUM.

(Titulus ss. Pontif.)

Est antiquus mos, ut nimirum electus Pontifex in principio literarum, si prius erat Episcopus consecratus, scribatur, exempli gratia, *Innocentius Episcopus, Servus etc.*, ut alias, si autem non esset consecratus, scribatur, *Innocentius electus Servus Servorum Dei.* *Innocentius* iste est Papa *Innocentius VIII.*, cui hoc Caeremoniale *Augustinus Patricius* nuncupavit, uti videre est apud *Mabillonium* tom. II.

Musei italici pag. 584, ubi legitur *dedicatoria* epistola ejusdem *Patricii* ad *Innocentium VIII.* Pontificem. Episcopi nomen reticendum esse a Pontifice nondum consecrato docent nos antiqua Romanorum Pontificum exempla ac praesertim *Benedicti Papae II.* exemplum, qui electum se appellavit initio literarum, quas ante ordinationem scripsit. Non consuevisse autem Pontifices ante consecrationem nomen suum Bullis seu Sigillis apponere notat *Spondanus* ad annum 1262 et post eum *Pagius* in *Vitis Urbani Papae IV.* n. 5., *Gregorii X.* n. 9. et *Innocentii V.* n. 1. Porro *Gregorius* ipse, dum *Viterbii* adhuc existeret, ad *Philippum Francorum Regem* literas dedit, *Viterbii IV.* Nonas *Martii*, suscepti apostolatus officii anno I., ex quibus constat, eum, antequam Romam pergeret, ut consecraretur, misisse ad laudatum *Philippum Regem Archiepiscopum corinthium*, qui validiora terrae sanctae subsidia ferre suaderet, a quo viginti quinque millium marcharum argenti ad id operis accepit, ut etiam ex aliis ad *Carolus Siciliae Regem* de eodem negotio scriptis per *Patriarcham Hierosolymitanum* hortatoriis literis intelligitur. Quales et ad *Venetos, Januenses* et alios dedit ipseque exemplum ceteris praebens, aere ecclesiastico quingentos conscripsit milites ac multos pedites tresque triremes a *Venetis* conduxit, iis transmittendis. Haec omnia egisse *Gregorium Papam X.*, antequam consecraretur, diserte exprimit *Gregorius* ipse ad memoratum *Philippum* datis literis, quarum hoc est initium: *Gregorius electus Episcopus Servus Servorum Dei etc.* Ex quo et patet, quod et inter alios observavit *Pagius* citato loco, eum ante consecrationem *Gregorium* nomen sumpsisse, licet in bullando literas *Gregorii* nomen reticuerit; sic enim epistolam claudit: „Nec mireris, quod *Bulla* non

exprimens nostrum nomen est appensa praesentibus, quae ante consecrationis et benedictionis nostrae solemniam transmittuntur, quia semper ii, qui fuerunt in Romanos electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis, ante suae consecrationis munus, modum huiusmodi observare. Unde non dicit epistolam datam anno Pontificatus primo, sed: suscepti a Nobis apostolatus officii anno I. Descriptam hactenus clausulam Literarum pontificiarum, quae datae scilicet sunt ante consecrationem, non modo legere est in huiusmodi pontificibus literis sed et in aliis caeremonialibus romanae Ecclesiae ac praesertim in eo, quod jussu Gregorii Papae editum fuit, et in uno membranaceo exarato labente Seculo XIV., quod mihi commendavit literarum bono natus pius aequae ac doctus Venantius Philippus Piersanctes apostolicarum caeremoniarum Magister. Ipsum itaque caeremoniale, ubi enarratur ritus servandus in electione Papae, sic inter alia inquit: Idem vero electus, in quocumque ordine fuerit, si scribat aliquas literas ante suam consecrationem, bullare faciat ipsas literas cum illa parte Bullae, in qua sunt capita Apostolorum ex una parte, ex altero vero erit plana, cum nondum sit consecratus in Papam; et in salutatione scribat nomen suum sic: N. electus Servus Servorum Dei dilecto etc. salutem et apostolicam benedictionem; et addit in fine literarum ante datam: Nec mireris, quod Bulla exprimens nomen nostrum non est appensa praesentibus, quae ante consecrationis et benedictionis nostrae solemniam non transmittuntur; quia hi, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis ante consecrationis suae munus modum huiusmodi observare; et ponitur *data in tali loco, X. Kal. Maii suscepti a Nobis praesulatus officii*

anno primo. Et Poenitentiarum dicunt in data literarum suarum: Datum etc. anno primo praesulatus Domini N. Papae X. electi Romani Pontificis.

Reliquum est, ut eum explicemus titulum, quo initio literarum Romanus Pontifex uti solet; appellatur enim *Servus Servorum Dei*. Sane post insolentem illam Joannis Constantino-politani Antistitis arrogantiam, qui se oecumenicum Patriarcham nominabat, ut constat ex epistola XXXIX. libri IV. registri Gregoriani, ad Sabinianum Diaconum, Constantino-*politani Sedis apostolicae Apocrisarium anno 595 data, S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus se semper Servum Servorum Dei inscripsit, teste Joanne Diacono in ejus Vita libro IV. cap. 58., ubi ait, primo illum coepisse ea formula in epistolis suis se inscribere, ut hanc etiam in successores transfunderet haereditatem verae apostolicae humilitatis: Universalis vocabulum refutavit et primus omnium se in principio epistolarum suarum Servum Servorum Dei scribi satis humiliter definiit cunctisque suis successoribus documentum suae humilitatis haereditarium relinquat. Hoc nempe persuasum habebat persuasumque omnibus volebat maximus simul et humillimus Pontifex, veram Episcopi magnitudinem totam esse in humilitate positam, nec aliud esse Episcopatum quam divinam quamdam servitutem, quam eorum Episcopi fierent, quorum viderentur esse Domini. Sacrilegum plane est, quod tartareo calamo scripsit impius Joannes Calvinus irridens Romanis Pontificibus, qui hi illum titulum, Servus Servorum Dei, a maledictione Chanaan acceperint, de quo inquit scriptura Geneseos cap. 9.: Maledictus Chanaan servus servorum erit. Quod quantum sit sacrilegum ineptumque atque insulsum dixerim, vel ipsi haeretici animadverterunt.*

Sed ut ad memoratum Romani Pontificis titulum revertamur, cujus initium ut dixi Joannes Diaconus s. Gregorio Magno Papae adscribit, epistolae ipsae Gregorii, prima libri VIII. et prima libri IX. ita quidem inscriptae sunt: Gregorius Servus Servorum Dei romano Defensori Siciliae; et: Gregorius Servus Servorum Dei Innocentio Africae Praefecto.

Ad haec Bedae lib. I. historiae gentis Anglorum plures epistolas refert, quibus Gregorium Laurentium Presbyterum et Monachos in Angliam proficiscentes commendat, in quibus se Servum Servorum Dei inscribit. Capite enim XXVIII. ejusdem libri unam adducit inscriptam Virgilio Episcopo Arelatensi cum hoc titulo: *Reverendissimo et sanctissimo viro fratri Virgilio Episcopo Gregorius Servus Servorum Dei*. Haec epistola est LXIII. libri IX. citati Registri Gregoriani, in quo sine illa inscriptione refertur, sicut et quaedam aliae a Beda recitatae. Gussanvillaeus quidem in notis ad epistolam I. libri VIII. ejusdem registri, romano Defensori Siciliae inscriptam, dicit se dubitare, an nuncupatio illa: Servus Servorum Dei, a Gregorio ibi usurpata fuerit. Sed, ut observat Garnerius in Appendice ad notas capituli I. libri de ordine romano, nulla est in toto Gregorii registro epistola, quae non sit a Collectore suis, quas haberet, solemnibus formulis spoliata; habuisse tamen omnes vel ex eo uno apertum est, quod ad saeculares viros feminasque multae datae sint, nec ulla tamen domini dominaeque nomen in epigraphe praeferat, quamvis id nunquam omissum Joannes Diaconus in ejus vita asserat. Sed et laudatus Beda capite XXIX. refert epistolam ejusdem Gregorii ad Augustinum Cantuariensem Episcopum, quae in Registro Gregoriano est XV. libri XII. et capite XXX., epistolam

ad Mellitum, quae in eodem registro est LXXI. libri IX., in quibus etiam Gregorius Servus Servorum Dei se inscribit, licet in eo registro ipsae epistolae ea formula spoliatae sint.

Observat et haec inter alios Pagius in vita memorati Papae s. Gregorii Magni estque communis scriptorum sententia egregio testimonio Joannis Diaconi fulta, ipsum Gregorium fuisse primum, qui e Romanis Pontificibus titulum initio pontificiarum Literarum adhibuerit. Non diffiteor, s. Augustinum quoque jam longe ante Gregorium quibusdam in epistolis scripsisse se Servum Servorum Dei; ac deinde alios complures Episcopos idem fecisse. At recte docet Thomassinus parte I. ecclesiae disciplinae libro I. capite XI. haec nihil obstare, quin vere dixerit Joannes Diaconus, haereditarium nomen, Servus Servorum Dei, a Gregorio in Romanos deinceps Praesules devolutum esse. Haec quippe est summae sedis prima gloria, quae sola humilitate exaltari potest, ut sola humilitate exaltatus est Princeps Pastorum Christus in aeternum Pontifex.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. I. I. p. 83).

SESSIO.

1) In choro.

Vd.: *Vicarius general.; Canonici Eccles. Cathedr.; Sedes.*

Presbyter simplex *doctor* non debet praeferrri in sedendo, votando et similibus simplici sacerdoti non doctori primo promoti. N. 122 ad 1 die 8. Maii 1597.

2) Laicorum int. miss. sol.

Cf.: *Magistratus (sedes); Sedes laicor.*

Magistratus missis sol. aliisque ecclesiasticis functionibus adstans potest

assurgere et sedere, prout facit Clerus, qui interest. N. 3230 ad 4 die 2. Septbr. 1690.

3) Intra Solemnia Episcopi.

In sedento tam Assistentes quam Diaconus et Subdiaconus pro loci situ et commoditate ita se gerant, ut se inferiores ministros Episcopi, non pares et aequales ostendant. N. 15 ad 15 die 16. Mart. 1591. Omnes assistentes in eodem plano sedere debere, si locus sit capax. Nr. 898 die 8. Febr. 1631.

4) In Synodo.

Vd.: *Sedes; Synodus.*

SIGILLUM.

1) Jus deferendi.

Sigillum cum propriis insignibus habere debent omnia Collegia, Conventus, Praelati, Abbates, Archidiaconi et Superiores omnes ac Officiales et eo uti debent pro scripturis authenticis. *Conc. Londin. II. cap. 29.*

2) Regularium.

Sigillo aureo vel argenteo uti non possunt regulares: Concil. Nicaen. ex Arabico cap. 76. Minister generalis ordinis s. P. N. Francisci de observantia legitime usus fuit et uti potest titulo et sigillo cum inscriptione: „Minister generalis totius ordinis fratrum minorum,“ ut hoc titulo insigniri consuevit a Summis Pontificibus, ut notat Dominicus de Gubernatis in orbe Seraphico tom. 1. lib. 3. cap. 10. circa finem, et signanter a Leone X., Clemente VIII., Paulo III., Sixto V., Urbano VIII., Greg. XV., Innoc. IX. et aliis sequentibus et novissime a Benedicto XIII. Constit. incip.: *Universalis Ecclesiae regimini*, et alia

incip.: *Dilectis filiis*, ibi: „Dilectis filiis Ministro generali totius ordinis fratrum minorum s. Francisci, nec non Generali ministro fratrum Conventualium ejusdem ordinis.“ Et hoc, utraque parte informante, jam fuerat repetitis vicibus declaratum a S. Congregatione Rituum, prout ad litteram referuntur decreta a supradicto Dominico de Gubernatoris loco citato tenoris sequentis:

Religionis s. Francisci.

„Cum Procurator generalis fratrum minorum Conventualium s. Francisci, sex ab hinc annis aegre ferret, Ministerium generalem de observantia in praeteritum usum fuisse et in praesentiarum uti titulo et sigillo cum inscriptione: *Ministri generalis totius ordinis fratrum minorum*, recursum habuit ad SSmum supplicans mandari reformari hujusmodi titulum tamquam non legitime dicto Ministro generali de observantia competentem. Et supplicatione per SSmum ad hanc S. Rituum Congregationem remissa; eadem S. Congregatio discussionem hujus negotii ad referendum usque de anno 1625 commisit Eminentissimo et Reverendissimo domino Cardinali Muto, coram quo formato dubio de consensu ambarum partium: „An titulus ministri Generalis totius ordinis fratrum minorum, quo insignitur Minister generalis observantium, si reformandus? Utraque parte saepe saepius in facto et jure desuper informante et audita ad relationem ejusdem Eminentissimi Cardinalis Muti causa acerrime in plena Congregatione discussa S. Rit. Congregatio respondit: nihil innovandum et Ministerium generalem de observantia legitime usum fuisse et uti posse titulo et sigillo cum inscriptione: *Ministri generalis totius ordinis fratrum minorum*; et ita servari mandavit die 22. Martii 1631.“

Religionis s. Francisci.

„Religio minorum Conventualium conquesta est apud SSmum de decreto ab hac S. Rituum Congregatione emanato ad favorem Ministri generalis de observantia s. Francisci circa usum tituli et sigilli Ministri generalis totius ordinis fratrum minorum, supplicans tamquam non audita in suis juribus audiri in signatura gratiae et mandari illustrissimo datario, qui concedat ad hoc supersessoriam necessariam.“

„Ex adverso autem frater Alphonsus de Prato Procurator generalis minor. observantium adiens et ipse cum supplici libello eundem SSmum supplicavit, quod, stante jure suae religioni quaesito tam ex Bullis pontificiis quam ex novissimo decreto, parte adversa super usu tituli et sigilli per quinquennium et ultra saepius audita et replicante, nemine ex Eminentissimis Patribus contradicente, ad sui favorem edito et etiam impresso; Sanctitas Sua dignaretur huic negotio perpetuum silentium, ut par est, imponere. Et utraque supplicatione per SSmum ad hanc S. Congregationem remissa eadem S. Congregatio unanimi Eminentissimorum Patrum consensu censuit: ex hactenus deductis non esse locum novae audientiae. Et mandavit Secretarium alloqui cum SSmo juxta mentem.“

Die 12. Aprilis 1631.

„Feria sexta die 21. Aprilis. Ego Secretarius allocutus fui cum SSmo juxta mentem S. Congregationis et Sanctitas Sua mandavit mihi, ut loquerer, prout feci, ad R. P. D. datarium pro imponendo perpetuo silentio.“

„Ita reperitur in regestis Congregationis sacrorum Rituum. In quorum fidem etc.“

Hac die 9. Junii 1682.

(L. + S.) Bernardinus Casalius,
Secret.

(Ex statutis Ordinis. SS. Trinitatis Redempt. Capt. Cong. Hisp.)

Clemens XII.

I. Patres superiores generales habebunt tria sigilla. Primum magnum ad signanda negotia gravia et Capituli generalis. Secundum mediocre ad ordinaria et tertium parvum pro litteris, hac sola differentia, quod in primo sculpta sit imago SSmae Trinit. et Pater Minister generalis habeat in circuitu verba ista: Signum primitivum SSmae Trinitatis et captivorum. Pater vero Commissarius in circuitu solum habebit haec: Signum discalceatorum SSmae Trinitatis et captivorum: In duobus aliis pro utroque superiore incisum sit scutum ordinis et in circuitu verba haec: Pater Minister generalis, vel: Pater Commissarius generalis.

II. Deinde deffinitores habeant sua sigilla, in quibus incisum sit scutum ordinis cum inscriptione ista per circuitum: Deffinitorium generale ordinis discalceatorum SSmae Trinitatis et captivorum, vel pro alio deffinitorio generali, si familiam nominare non possit, in circuitu sint haec verba: Deffinitorium generale unius familiae discalceatorum SSmae Trinitatis captivorum. Et cum sigillo sui deffinitorii signabunt negotia, quae Superior generalis expenderit nomine illius, addendo etiam in illorum corpore: de consensu nostri deffinitorii generalis. Per haec enim verba et sigillum distinguenda sunt negotia deffinitorii ab expeditis a Superiore generali solo.

III. Singuli Patres deffinitores singula habeant sigilla parva pro epistolis suis et in illis sit scutum ordinis et inscriptio haec per circuitum: deffinitor generalis ordinis, quin addatur primus secundus nec tertius. At vero deffinitores generales familiae in inscriptione non habeant eadem verba sed solum habeant haec: Deffinitor ge-

neralis unius familiae, vel nominando familiam sit locus fuerit.

IV. Quilibet Provincialis tria etiam habeat sigilla, unum magnum pro suo Capitulo, in quo incisum sit ordinis scutum et per circuitum ista verba, exempli gratia: Provincia Spiritus Sancti. In aliis duobus, quorum unum mediocre ad ordinaria negotia sui officii, et alterum parvum pro epistolis suis, erunt in circuitu sequentia verba: Provincialis provinciae N.

V. Praeterea deffinitorium provinciae alterum sigillum habere debet, quod sculptum habeat scutum ordinis et in circuitu haec verba: deffinitorium provinciae N.; cum hoc enim sigillo Pater Provincialis signare debet, quae expeditur nomine deffinitorii sui et etiam addere in corpore: De consensu nostri deffinitorii provincialis; nec non provinciae deffinitores habeant sua sigilla parva cum hac inscriptione: Deffinitor provinciae N.

VI. Quilibet etiam Minister Conventualis habeat sigillum parvum pro epistolis et negotiis occurrentibus et in illo scutum sit ordinis et per circuitum titulus sui Conventus vel Collegii, verbi gratia: Minister Conventus maritensis.

VII. Visitatores delegati habeant etiam sigilla cum scuto ordinis et ista inscriptione: Visitator generalis, vel: Visitator provincialis. Sigilla autem ista sint apud Patrem generalem et provincialem respective, ut ea suo tempore tradant Visitatoribus ab eis delegatis, qui et finita sua commissione reddant illa delegantibus.

VIII. Insuper Patres Redemptores captivorum et Procuratores generales et provinciae pro negotiis et epistolis sigilla habeant parva et cum scuto ordinis insculpto et inscriptione pergitur: Redemptor captivorum, vel: Procurator generalis ordinis vel familiae N. et similiter: Procurator provinciae.

IX. Praecipimus, quod nullatenus excedatur a disposito in hoc §. ne ullus alius extra praedictos (cujuscumque status et conditionis sit) sigillo utatur sub poena gravis culpae.

Die 2. Aug. 1738.

(Bull. r. t. XV. p. 243. Ed. Luxbg.)

SIGNA MARTYRII.

DECRETUM.

Postquam saeculo XVI. laboribus praesertim et studiis Antonii Bosi iterum suburbana patuere coemeteria, quae a saeculo VIII. exeunte summorum Pontificum cura penitus interclusa remanserant ne barbari romanum solum devastantes ibi aliquam inferrent prophanationem, in iis conquiri coeperunt martyrum corpora, quae adhuc ibidem permanebant in loculis abscondita. Tutissimum dignoscendi sacra haec pignora signum a majorum traditione receptum erant Phyalae vitreae vel figulinae cruore tinctae aut crustas saltem sanguineas ocludentes, quae vel intra vel extra loculos sepulchrorum affixae manebant. Attamen aliquibus visum fuit viris eruditissimis praeter sanguinem admittere notas, quibus ipsi Martyres distingui autumabant. Verum ut in re tanti momenti inoffenso procederetur pede, placuit Clementi IX. Summo Pontifici singularem deligere Congregationem, quae ex sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus aliisque doctissimis viris constaret, cuique hac super re gravissimum commisit examen. Haec Congregatio, quae a sacris postea reliquiis et indulgentiis nomen habuit, argumentis omnibus perpensis die 10. Aprilis anni 1668 decretum hoc tulit: „Cum a s. Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita de notis desceptaretur, ex quibus verae s. martyrum reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint, eadem s. Congregatio, re diligenter

prae oculis habens universam argumentorum seriem necnon fidelem ejusdem Secretarii relationem, quum omnia accuratissima ponderaverit disquisitione, die 27. Novembris vertentis anni, duobus his propositis dubiis:

I. *An phyalae vitreae aut figulinae sanguine tinctae, quae ad oculos sepulchrorum in sacris coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperirentur, censeri debeant Martyrii signum?*

II. *An ideo sit standum vel recedendum a decreto S. Congregationis indulgentiarum et reliquiarum diei 10. Aprilis 1668?*

Respondit ad primum: „Affirmative.“

Ad secundum: „Provisum in primo.“

Ideoque declaravit confirmandum esse decretum anni 1668.

Facta autem de praemissis SSmo Domino nostro Pio Papae IX. a subscripto secretario accurata omnium expositione, Sanctitas Sua sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit atque praesens decretum expediri praecepit.

C. Episcopus Portunen. et s. Rufinae, Card. Patrizi S. R. C. Praef.,

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(Anal. J. P. 1864 p. 953.)

Vd.: *Reliquiae*. (Inventio.)

SIGNUM CRUCIS.

(In Officio faciend.)

Ad dub.: Utrum hebdomadarius signari debeat, cum in officio divino dicit: *Indulgentiam, absolutionem*, sicut etiam praescribitur in principio missae? S. C. resp.: Congruere, ut fert praxis universalis praesertim urbis. N. 4526 ad 39 die 7. Septbr. 1816.

Vd.: *Cruz*.

SILENTIUM.

1) In Choro et Sacristia.

Vd.: *Sacrista* (munus.)

Tranen.

Capitulum et Clerus Baruli Tranen.

examinata censuit, palmam et vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse: aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit.“ Decretum hujusmodi duorum fere saeculorum decursu fideliter servatum est, quamvis praeterito vertente saeculo nonnulli selecti scriptores de Phyalae sanguineae signo diversimode dubitaverint; quibus praecipue gravissima Benedicti XIV. auctoritas obstitit, quum in literis apostolicis ad Capitulum metropolitanae ecclesiae Bononiensis de Proco martyre ex coemeterio Trasonis cum vase sanguinis effosso edoceret. „Ipsi debetur cultus et titulus sancti, quia procul dubio nulli unquam venit in mentem, quantumvis acuto ingenio is fuerit et cupidus quaerendi, ut aiunt, nondum in scripo, nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod corpus in catacumbis romanis inventum cum vasculo sanguinis aut pleno aut tincto, non sit corpus alicujus qui mortem pro Christo sustinuerit.“ At nostris hisce diebus alii supervenere viri eruditione aequae pollentes et in sacrae archaeologiae studiis valde periti, qui vel scriptis vel etiam voluminibus editis adversus Phyalam sanguineam utpote indubium martyrii signum decertarunt. Sanctissimus autem Dominus noster Pius Papa IX. de decreti illius robore et auctoritate haud haesitans, quum videret tamen eruditorum difficultates ephemeridibus tum catholicis tum heterodoxis divulgari, ad praecavendum quodlibet inter fideles scandalum sapientissime censuit, ut hujusmodi difficultates in quadam peculiari S. Rituum Congregatione severo subicerentur examini, peculiaris vero Congregatio haec nonnullis ex ejusdem S. Rituum Congregationis Cardinalibus, Praelatis, officialibus ac selectis ecclesiasticis viris pietate, doctrina, prudentia reumque usu eximie praeditis constituta

diocesis S. Rituum Congregationi exposuerunt, cogi ab ordinario sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, reservata sibi absolutione, ad immutandam horam matutinarum recitandarum contra dispositionem constitutionum ecclesiae et ad silentium omnimodo servandum tum in choro tum in sacristia.

Quamobrem supplicarunt hujusmodi poenam moderari et in observantia constitutionum reintegrari. Et S. Congregatio censuit, praevia suspensione censurarum Episcopum audiri; verius tamen oretenus procuratori Episcopi aperiri, ut omnino revocet censuras et mitius agat quoad silentium; quoad matutinas mandet servari constitutiones ecclesiae quatenus ritui non adversas.

Die 24. Junii 1660.

(Anal. J. P. 1863 p. 366.)

2) In choro et ecclesia.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (ador. decr. Pragense t. III. p. 490); *Sacrista* (munus); *Laici* (quomodo se gerant); *Munditia Eccles.*

Clemens PP. IV. pro Eccles. Aniciens.

Omnes tam Canonici quam Clerici quinquaginta praedictae ecclesiae in choro, dum divina officia celebrabuntur, in stando et sedendo honeste se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem et corpus honestum ostendant.

Extra chorum intra ecclesiam nullus clamare, rixari seu invercunde ad invicem vel cum mulieribus seu aliis inhonestis personis fabulari audeat nec per viam currere seu currendo transire.

Stabularii seu albergarii ejusdem loci nihil amodo percipiant in his, quae altaribus ecclesiae offerunt peregrini, nec ad ipsa altaria eos adducant nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando

maxime inducant seu attrahant ad ipsius ecclesiae altaria vel capellas.

Dat. Viterbii IV. Nonas Junii 1265.
(Bull. r. t. IX. p. 76. Ed. Luxbg.)

Innocentii PP. VII. Approb. regulae sfr. et sor. de Poenit. Ord. s. Dominici.

In Ecclesiis dum celebrantur missae vel cantatur divinum Officium seu actualiter ibi proponitur verbum Dei, omnes silentium servare studeant et orationi ac divino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali et occurrente necessitate aliquid silenter loquantur. Die 26. Junii 1405.

(Bull. r. t. IV. p. 639. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Idem decr. Martini PP. V. ad fratres et soror. tertii Ord. Servorum B. V. M. Die 16. Mart. 1424.

(*Ibid.* p. 705.)

S. Agathae.

Episcopus s. Agathae certioravit hanc S. Rituum Congregationem de excessu quodam, qui accidit in sua Cathedrali, celebrante sacerdote, qui propter annorum multorum numerum et strepitum puerorum prope altare, oblitus de elevatione SSmi Sacramenti et Sanguinis et forsitan etiam de consecratione sequuta, denuo elevavit corpus et sanguinem et, quod Deus avertat, iterato etiam consecravit, quod tamen ipse sacerdos haec patrasse non affirmat. Et S. Congregatio mandavit scribi Episcopo, qui vocari faciat dictum sacerdotem, illumque accerrime corrigat et suggerat illi dictum scripturae: maledictus homo qui fecerit opus Dei negligenter, et ipse Episcopus curet removere ab ecclesia sua indecentiam, strepitus et rumores, ne distraherentur celebrantes et orantes, quum domus Dei domus orationis sit.

Die 30. Septembris 1628.

(Anal. J. P. 1863 p. 206.)

(Ex statutis FFr. B. V. M. de mercede redempt. captivorum.)

Innocentius XII.

Quoniam domus Domini domus orationis vocatur eamque idcirco deceat sanctitudo, enixe super hoc ministerii ejus invigilare praecipimus, ne colloquia habeantur in illa, praesertim temporibus celebrationis officiorum. Visitationes vero feminarum et alloquia politica quantumvis necessaria et honesta, etiam ad vesperam prohibemus in ecclesia, nisi cum expressa licentia Praelati. Quod autem cum facultate praedicta ita fieri decenter expediat, totis tamen viribus interdiciamus ne in locis confessionibus designatis hujusmodi misceantur alloquia, ne tam sancta, sed illa etiam decentibus erubescant.

Die 2. Febr. 1692.

(Bull. r. t. XI. p. 88. Ed. Luxbg.)

3) Intra processionem.

Eugenius IV. ad Clerum Urbis.

Nullus, dum processionaliter incedit, cum aliquo confabulare praesumat, sed cantet aut orationibus a seipso, si cantare nescit, insistat, sub poena.

(Bull. r. t. V. p. 7. Ed. Aug. Taur. 1860.)

S. SILVESTER.

Cum festum dedicationis Ecclesiae PP. Minorum de Villa Franca semper occurreret cum festo s. Silvestri et officium dicti sancti ad unum sequentem transferri minime valeat, fiat festum dedicationis cum com. s. Silvestri. N. 4166 die 23. Januarii 1745.

S. SIMEON PROPH.

(Officium.)

Congregationis Cassinensis.

Supplicatum fuit pro parte mona-

sterii ssmae Trinitatis Cavensis ordinis s. Benedicti Congregationis Cassinensis pro concessione sibi facultatis recitandi in officio s. Simeonis prophetae lectiones proprias et alia desumpta ex festo Purificationis B. M. V. Et S. Rituum Congregatio, ad relationem Emmi Cardinalis de Norfolkia, respondit: Negative.

Die 20. Septembris 1681.

(Anal. J. P. 1865 p. 1237 n. 2174.)

B. SIMON DE LYPNICA.

(Off. et Missa.)

Cracovien.

Piis precibus Poloniae regis SSmo exhibitis per Emmum Barberinum nomine majestatis suae, quibus enixe petiit, ut Sanctitas sua dignaretur indulgere in toto regno Poloniae recitari posse ab omnibus christifidelibus utriusque sexus, tam saecularibus quam regularibus officium et missam de b. Simone de Lypnica sacerdote ordinis s. Francisci de observantia et remissis a Sanctitate sua ad S. Rituum Congregationem eadem ad relationem Emmi Pampili, per plures vices omnibus mature perpensis, audito in voce et in scriptis Rmo Dno fidei promotore, censuit, si SSmo placuerit, petitam gratiam concedi posse cum officio et missa de communi confessorum non pontificum sub ritu semiduplici; attento quod praedicta causa non sit comprehensa in decreto Urbani VIII. de anno 1628; et ita decrevit die 4. Septembris 1688. Et facta de praedictis SSmo relatione Sanctitas sua benigne annuit die 17. Januarii 1689.

(Anal. J. P. 1865 pag. 1302 n. 2376.)

SS. SIMON ET JUDA APP.

Si festum omnium SS. occurrat vel in Sabbato vel in dominica vel in fer.